DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA, PERTRACTANS

ANGINAM
MEMBRANACEAM


QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Adalbertus Tost.
Austriacus Viennensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die Mensis Aprilis anni 1835.

Vindobonae,
Typis Francisci Ludwig.





PERILLUSTRI, SPECTABILI

AC

DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

RUDOLPHO

NOBILI DE VIVENOT,

MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTRO, INCLITAE FACULTATIS MEDICAE VINDOBONENSIS MEMBRO, HUMANITATIS SOCIETATIS VIENNENSIS SODALI, ET MEDICO PRACTICO.

VIRO

OPTIMO, MAXIMO, SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA, HUMANITATE, CANDORE.

BENEVOLENTIA INSIGNI

SUMMO BONARUM LITTERARUM

AESTUMATORI, FAUTORI SUO MAXIMO

PRIMOS HOSCE STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN

VENERATIONIS, CULTUSQUE PERENNIS

TESTIMONIUM

SACROS ESSE VULT ET DEDICAT.

Auctor.

Angina membranacea, est inflammatio catarrhalis acutissima, laryngis et tracheae, infantili aetati propria, cum particulari in hypoclepsin lymphatico plasticam nisu, voce miro in modo alterata, tussi specificae indolis, anxietate summa et suffocationis periculo conjuncta.

Deprehendimus morbum hunc, apud diversos auctores etiam diversis nominibus signatum, jam ex indole morbi, jam a pecculiaribus morbi symptomatibus desumtis; sic Hufeland eum.

Anginam laryngeam exsudatoriam nominat, ob pecculiarem nisum inflammationis, sub ea varietate Anginae conspiciendum, lympham coagulabilem, adfaciem internam laryngis deponendi.

Jam nunc a nonnullis

Laryngitis exsudatoria, jam

Tracheitis exsudatoria dicitur, prouti ab iis lympha haec exsudata, vel in larynge vel in trachea sola, vel et in larynge et trachea simul magis occurere observabatur. — Ob idem exsudatum etiamaliis eam.

Anginam humidam denominare placuit.

Angina seu Cynanche membranacea, häutige Bräune, Hautbräune,

propterea dicta, cum lympha coagulabilis exsudata mox membranam sat firmam formet, qua laryngis et tracheae, interna plaga obvestitur.

Anginam polyposam, polypöse Bräune nominatam deprehendimus, cum contendatur, substantiam polyporum in corde et vasis majoribus generatorum, convenire, imo unam eandemque esse, cum lympha ea, coagulata sub Angina membranacea producta.

Affectio orthopnoica (Baillou) Angina suffocativa, strangulatoria, Stickbräne, ob respirationis difficultatem, et constrictionem laryngis dicitur. — Idem Angli per vocabulum

the Croup exprimere volunt, quod idem ac constrictionem designat.

Cynanche stridula, pfeifende Bräune, Suffocatio stridula (Crawford) Angina strepitosa (Ghisi) dicitur ob stridorem et sonum sibilosum sub tussi observandum.

Hühnerweh Germani nominant, vocem sub hoc morbo mutatam, cum pullorum pipientium sonitu comparando. — Tandem Albers eam.

Tracheitidem infantum nominat, cum solum aetati infentili propria sit,

Brevis conspectus historicus.

Anginae membranaceae.

Angina membranacea jam ab aevis grassabatur, prouti hoc ex scriptis Antiquorum innotescit; attamen medici nondum cognitionem

perfectam eius naturae habuerunt, comutarunt- que eam cum aliis anginis et in specie cum Angina gangrenosa infantum. — Recentiori tempore autem, ea saepius epidemice et sporadice occurente, etiam eius natura magis innotuit, licet adhuc multum restat, ad amplificandam eius perfectam therapiam.

Baillou fuit inter medicos primus, qui epidemiam anno 1570 et 1567 Parisiis grassantem, magna cum perspicuitate descripsit, et medicos ad formationem pseudomembranae sub hoc morbo attentos fecit.

Ghisi, angina membranacea in variis ditionibus Europeae ab anno 1746 — 1749 epidemice grassante, epidemiam Cremonensem egregie descripsit; veritatem supra formationem pseudomembranae confirmans, praeterea symptomata Anginae strepitosae propria erruens, eam ab Angina gangrenosa eodem tempore in tota Italia vigente, distinxit.

Franciscus Home autem primus fuit, qui exactam Anginae membranaceae, (sub nomine Croup) monographiam edidit.

Fr. Chr. Michaelis serius insigne meritum circa diagnosim et curam huius morbi habuit, quatenu eius inflammatoriam naturam evicit, ac prudentem ab initio antiphlogisticorum, dein emeticorum et vesicantium usum docuit.

J. A. Albers recentiori aevo, merito qua princeps huius argumenti promotor considerari debet, cui plurimas, easque utilissimas observationes et perfectiones in acceptis referendas habemus.

Nosographia.

Distingvi licent sub decursu Anginae membranaceae, stadia quatuor, nimirum:

1. *Stadium catarrhale.*
2. *Stadium inflammatorium.*
3. *Stadium exsudationis.*
4. *Stadium suffocationis.*

Sub decursu fausto autem stadii 3. loco, hoc crisium et decrementi; stadii 4. loco, hoc Reconvalescentiae distingvitur.

1) Stadium catarrhale.

Symptomata. Signatur hoc stadium symptomatibus catarrhi incipientis solitis, nimirum, capiuntur parvuli; kephalaea, coryza, raucedine, tussi cum sputis parcis, quae communiter ab iis deglutiuntur, sub quavis tussi fundunt lacrymas, nativam hilaritatem et convetam ad jocos, aliaque oblectamenta proclivitatem amittunt, hinc tristes, morosi, difficilesque fiunt, ac solito magis incalescunt. — Accedit his modica horripilatio et calor fugax, vespertino tempore communiter intrans et matutino tempore remittens, transpiratioque aliquantum incitata deprehenditur. — His interdum ab omni initio laevis jungitur in larynge dolor, quem parvuli nondum loquella pares, per clamitum sub attactu manifestant, adultiores autem eius sedem distincte, manu designant.

Decursus stadii catarrhalis 3—5 diebus absolvitur, intra quos exacerbationes vespertinae graviores fiunt, cum temperatura et siti adaucta, pulsu frequenti et pleno, et tussi fortiori siccaque; sicque stadium catarrhale in stadium inflammationis transgreditur.

Sed non raro observatur, stadium hoc catarrhale penitus deficere, et morbum derepente cum symptomatibus phlegmonosis intrare, quo in casu Angina membranacea repente intrans, der rasch eintretende Croup dici solet.

2. Stadium Inflammationis.

Symptomata huic stadio convenientia sunt in genere symptomata inflammationis vere phlegmonosae, suntque ita lucida et propria, ut vere pathognomonica dici merentur. — Symptomata autem haec pathognomonica concernunt:

a. Vocem.
b. Dolorem.
c. Tussim.
d. Sputa.
e. Respirationem.
f. Febrim.

a) Vox.

Est Vox suo modo alterata, nimirum: rauca, acuta, stridula, strepenti pullorum gallorum cantantium sono non absimilis vel acuto sonora, quasi per fistulam metàllicam efflata.

Raucedo vocis, est quidem quoad tempus semper primum symptoma; cum autem raucedo etiam catarrho symptoma proprium sit, elucet nunquam prose solum pathognomonicum symptoma sistere. — Raucedo hic matutino tempore inminutus deprehenditur, vesperi autem iterum adaugetur, perduratque, per totum decursum morbi et in nonnullis casibus adhuc per septimunas post finitum morbum continuat; cius decrementum sub decursu semper ad fausta momenta prognoseos referrendum. —

Saepe vox penitus deficit, ita ut aeger solum in maxima eius vicinitate intelligi queat.

Ast etiam absque raucedine Angina membranacea deprehenditur, licet rarissime, et quidem tunc solum, dum non larynx sed trachea sola affecta sit.

b) Dolor.

Dolor vel in larynge vel in trachea situm suum habens, est fixus et continuus, vel premens, vel pungens, vel urens.

Dolor hic pariter ad symptomata constantia pertinet. — Est primo obtusus a parvulis sub pressione ad loryngem, contrectatione tracheae et capitis retroversione persentitus, tussiendo, sermocinando, flendo excitandus. Ad laryngem et tracheae decursum quandoque externus tumor exiguus animadvertitur.

In nonnullis casibus solum sub inspiratione profundiori et non sub attactu dolor sese manifestat, cuius phoenomeni causa in sola inflammatione membranae mucosae tracheae quarenda est.

c) Tussis.

Tussis est dura, sicca; periodice intrans, sonum proprium, rancum, plerumque altum, latratum caniculi rauci aemulando, edens.

Tussis dura et sicca aegrum summo in modo vexat, ita ut nonnisi magno cum molimine, dolore vehementi in larynge, et non raro sub suffocationis periculo tussitare queat. Periodice intrat h. e. vespertino tempore sub exacerbatione febrili nimio modo adaugetur; per locutiones, vagitum, fletum, aquam frigidam

haustam et inspirationem aeris frigidi cito et vehementer excitatur. Initio tussis per majora currit intervalla; sub angina membranacea repente intrante, tussis magnacum vehementia et per breviora interstitia se insinuare solet; sub lento decursu autem hi accessus ita leves sunt, ut a profanis communiter non observentur, sicque momentum faustum, quo auxilio adaequato, malum adhuc supprimi valuisset, penitus negligatur.

Tussis tamen quoad fortitudinem, frequentiam et sonum diversa esse potest, prouti vel larynx vel trachea magis affecta sit; larynge magis capto sonus tussis fit altus et sonorus; trachea magis affecta demissus, cavus, et raucus observatur.

d. Sputa.

Referunt haec, floccos et massas membranaceas.

Massae hae membranaceae vel fasciolas angustas aut latas sistunt, vel frusta difformia, aut globosa vel coagula polyposa aut canaliculata, formam canalis tracheae ac bronchorum, referentia, quae mollia, medullosa, aut tenacia, splendentia, alba, aut punctulis aut striis sangvineis, aut vasculis imo sangviferis notata, quandoque grisea, aut brunea, aut nigro-viridicantia sunt, exhibent. — Horum sputorum ejectionem, praeceditsaepe vomitus, quo non solum contenta cum pituita et bile e ventriculo sed etiam fluida serosa, mucosa, spumantia e viis respiratoriis extricantur, cum levamine manifesto, consvetim autem transitorio. Sputa

haec nunc descripta, primo sub fine stadii Inflammationis contingere solent, ita ut potius Stadio 3. propria sint; cum autem transgressus ex Inflammatione in exsudationem tam repente fit, et sub Inflammatione adhuc vigente jamjam Exsudatio inchoet, ita ut limes strictus inter haec duo Stadia describi non valeat, sputa et Inflammationis et Exsudationis stadio assignanda sunt.

Sputa communiter a parvulis deglutiuntur quo fit, ut medicus symptomate hoc momentoso plerumque destituatur.

Inflammationis gradu vehementer adhuc vigente, etiam tussis sicca est, sicque sputa deficiunt, et solum major quantitas salivae excernitur; sub crescente autem morbo, tussis sicca manet, et saepe sub accessibus gravissimis integra fragmenta productae morbosae membranae ejiciuntur.

Eaedem membranae etiam per alvum secedunt, quaproter sub Angina membranacea et alvus semper inspicienda est.

e) Respiratio.

Respiratio morbosa, sub forma Dyspnöeae sese representat; est inspiratio difficilis, sibilosa, fistulans et strepens.

Dyspnöea haec, et pecculiaris ille sonus sub inspirio ab incipiente exsudatione repetitur, quapropter etiam dyspnoeae gradus, metrum periculi praebet, cum crescente vel decrescente exsudatione et inde majori vel mi-

nori periculo suffocationis egresso in aequali ratione se habendo.

Sub gradu mitiori morbi, respiratio initio non est irregularis; sub angina membranacea repente intrante autem dyspnöea statim cum aliis symptomatibus repente sese insinuat. — Stadio catarrhoso praegresso, dyspnöea tardius inchoat. — Symptomata quae illam adhuc commitari solent sunt: anxietas summa, facies tumidula, caerulescens, oculi lacrymis suffusi, splendidi, protrusi, turgescentes venae frontales, et jugulares, cor fortiter pulsans, tussis et periculum suffocationis.

f) Febris.

Febris est caracteris vere phlegmonosi, continua continens, vel remittens, vesperi fortiter exasperans et matutino tempore plene remittens.

Febris vel solum sub forma febris catarrhalis vel repentine magna cum vehementia intrat; in hoc casu, febris magno cum frigore et subsequente calore vel solum cum calore inchoat; calore per totum corpus disperso, tamen frons, facies et collum maxime calent, genae sunt laete rubro circumscriptae, oculi splendentes protruduntur; aspectus fit vivax; lingua rubra vel muco albo tecta; sitis permagna; abdomen indolorificum, aliquantulum tensum, cutis ardens et sicca; alvus obstipa; urina parca, vel flamminea vel in pluribus casibus, non obstante febri intensa limpida et flava, vel coloris aurei, seceditque cum sen-

satione pruritus. — Pulsus perquam frequens, saepe innumerus, aut plenus, fortis, durus, cordam metallicam ludens, aut suppressus, parvus, attamen semper duriusculus.

Illud tamen morbo huic proprium est, quod parvuli etiam post vehementissimos paroxismos, subsequenti matutino tempore se optime habeant, et lectum solliciter deserere cupiant.

Exaberbationes vesperi intrantes, circa mediam noctem summum gradum attingunt, et mane iterum remittunt. — Aucto autem gradu morbi, etiam gradus et duratio exacerbationum adaugetur; remissiones semper breviores fiunt, ita ut periculo maximo praesente, penitus evanescant.

Relatis nunc symptomatibus pathognomonicis, restant adhuc alia, quae sub diversis circumstantiis, in nonnullis casibus anginae membranaceae accedere solent, et diagnosim ejus magis perspicuam reddunt; haec sunt: Intumescentia colli, inspecto autem pharynge nullus color nec ulla intumescentia animadverti licet, et deglutitio non est inhibita, si non insimul etiam angina faucium adfuerit; — pulsatio carotidum, vomituritiones, vomitus ipse, spasmi et convulsiones. — Somnus, qui accessus communiter sequitur, tranquillus esse videtur, attamen semper sub illo inspiratio difficilior et sonans observatur.

3. Stadium Exsudationis.

Intrat hoc stadium saepe jam 2. vel 4. die.

Symptomata omnia hoc stadium signantia ab exsudato in larynge et trachea sito, aeris

respirium impediendo, sicque suffocationis periculum inducendo, repeti debent: facies aegri pecculiariter mutatur, fit inflata, pallida, tegitur sudore frigido et viscido, tandem fit cadaverosa; oculi vel figuntur vel rotantur tandem incidunt; labia coerulescunt, livent; caput retroversum trahitur, ut per tracheam ellongatam aeri aditus ad pulmones concedatur. — Vox fere extinguitur. Respiratio semper magis inhibetur, diducuntur multum os et narium orificia, aerque per nares vi expellitur; sub quovis respirandi conamine, musculi abdominis, fines cartilaginosi costarum inferiorum una cum inferiore parte sterni et cartilagine xyphoidea introrsum trahuntur; inspiratio fit parva, brevis, sibilosa, exspiratio gemebunda, tandem evadit respiratio stertorosa. Inquietudo et anxietas semper magis adaugetur. — Incidunt parvuli in soporem, ex quo nonnisi per invasiones tussis minus intensae, et apparenter resolutoriae, excitantur vel summe anxii sese jactitant vario situ quaerentes levamen, nonnisi capite multo reclinato quandoque obtinendum. — Accedunt vomiturítiones et vomitus. — Urina sub tussi sponte secedit. — Pulsus fit frequentissimus, innumerus, parvus, intermittens. — Remissiones nunc nullae amplius observantur.

4. Stadium suffocationis.

Dyspnoea et anxietate culmen attingente, parvuli manibus, pedibusque fixis profunde spirare conantur; arteriae capitis fortiter pulsant, tument venae jugulares, tremit cor; ad-

movent aegri manum vel laryngi sub qualibet inspiratione protrudendae et sursum attrahendae, vel ori ex quo nonnunquam adeo violenter ut sanguinem fundat, linguam protrahunt; mordent digitos, capillos evellunt; amplectuntur adstantes, gemebundi et anxii clamitant, donec sub convulsionibus, licet plena conscientia, mors tandem scenam claudit.

Stadium Crisium.

Stadium hoc Crisium sub felici decursu morbi, prouti supra jam monui, stadii 3. descripti loco intrat; rarissime illud, sola natura adducere valet, sed fere semper auxilium medicum. — Contingit intra 5, 7, vel 11. diem. Crisis et per cutem, et urinam et alvum, eminenter tamen in viis respiratoriis per specifica sputa sese insinuat, et perficitur.

Symptomata. Accessus mitiores et rariores fiunt; impedimentum respirii decrescit; tussis mutat sonum, fit magis rauca et humida cum sputis mobilibus, compactis, tenacibus et membranaceis. — Somnus cum sudore largo aegrum recreat. — Alvi ductiones fiunt frequentiores, viridescentes, specifice foetentes, magno cum levamine absolvuntur, et eadem coagula membranacea educunt. — Urina rubra, vel flava nunc turbida, sedimentum largum deponit. — Turbae febriles inminuuntur; pulsus fit mollis et minus frequens, sicque pedetentim stadium hoc in stadium convalescentiae transgreditur.

Stadium Convalescentiae.

Stadium hoc, praegressis crisibus, saepe adhuc per longum tempus reliquiis symptomatum morbosorum notatur.

Symptomata. Observantur durante hoc stadio: debilitas universalis relicta, aeque ac topica sensilitas nimia et irritabilitas laryngis et tracheae, hinc tussis et raucedo longius continuans, vocis debilitas, imo aphonia. — Pseudomembranae recentis cum trachea concretio dyspnöeam perpetuam, respirationemque sibilosam efficit insanabilem; — observatur porro pronitas in spasmos.

Decursus.

Quoad decursum distinguimus:

Anginam membranaceam acutissime et vehementer decurrentem, quae jam secundo ab introitu signorum characteristicorum die morte finit, et

Anginam membranaceam chronicam cum symptomatibus mitioris gradus, et nonnisi in adultis ac individuis generatim laxis ac phlegmaticis vel post neglectam therapiam occurentem, cujus decursus ad 9. 14. 17. diem imo ad hebdomades protrahitur.

Discrimen.

Anginam membranaceam inter et morbos analogos.

Confundi potest angina membranacea cum nonnullis morbis organorum respirationis, nimirum:

a. cum asthmate Millari
b. cum tussi ovilla.
c. cum tussi convulsiva.
d. cum catarrho pulmonum.
e. cum angina faucium.

haec analogia in Cynanches membranaceae initio ante febrim et morbosam coagulandae lymphae secretionem quandoque obtinet; differt tamen ab his et quidem:

a. ab asthmate Millari. — Est asthma Millari morbus nervosus, sub quo vox cava, profunda, et rauca, tussis semper sicca nunquam cum sputis conjuncta est, deest dolor in larynge et trachea, sed est in pectore et quidem premens, errans intra scapulas; facies sub hoc morbo est pallida, calor naturalis non adauctus, frigentibus extremitatibus; incedit morbus repento absque omnibus prodromis, et absque febri sub toto decursu non observanda; urina semper limpida manet; pulsus variabilis, spasticus et parvus est.

b. a tussi ovilla vel catarrho laryngis, cum qua maximam analogiam ob sonum tussis habet, sese distinguit, quod sub tussi ovilla febris et dolor laryngis deficiant.

c. a tussi convulsiva; haec per longius tempus decurrit, accessibus periodicis notatur, et sonus tussis ruditui asini non dissimilis est.

d. a catarrho pulmonum. Sub morbi initio praesertim si constitutio catarrhalis indolis est phlogisticae, angina membranacea a pulmonum catarrho vix alio dignoscitur phaenomeno, nisi tussi characteristica, voce rauca, serius sibilosa.

c. ab angina faucium per liberam deglutiendi facultatem et absentiam rubedinis et tumoris in cavo oris et faucibus.

Reliquae inflammationes organorum colli et pectoris sese per absentiam symptomatum characteristicorum, et per deficientem tendentiam membranam producendi, distinguunt.

Aetiologia.

A. Dispositio. Dispositionem eminentem in anginam membranaceam aetas infantilis a primo die nativitatis usque 10 — 12 annum praebet. — Pueri prae puellis; robusti, vividi, plethorici prae imbecillibus ac teneris capiuntur. — Eminens autem haec dispositio aetatis infantilis non solum in majore teneritudine, irritabilitate et sensilitate vel laryngis vel tracheae fontes agnoscere videtur, sed et in toto organismo infantili, cui tunc tempore major copia sanguinis, largior copia gelatinae et lymphae est, nisu formativo eminenter praevalente. — Succis collum et caput versus sub hac aetate praeprimis tendentibus, prouti major glandula thyroidea, epystaxis frequens, dentitio, aphtae etc. nobis exemplo sunt, et etiam larynx et trachea infantilis sanguine et lympha oppleri debet; causa nunc excitante agente, necesse est, ut organa haec in quibus nisus formativus praedominatur, in quibus vitae alacritas potentior deprehenditur morbose capiantur. — Non oportet autem, causam excitantem anginam membranaceam producendam specificam esse, nam simplex refrigerium, quod

alias simplicem catarrhalem affectionem generari par est, hic Anginam membranaceam producere valebit, ita ut anginam membranaceam, revera solam affectionem catarrhalem per infantilis aetatis proprietatem modificatam nominari jus est; id quod sequentibus probari licebit, quod nimirum periodus quousque angina membranacea parvulos plectitur ea sit, sub qua lymphae copia iterum imminuitur; quod pueri ob majorem evolutionem laryngis, adeoque etiam ob majorem nisum formativum in eodem occurentem prae puellis capiantur; quod tandem vividi, plethorici prae imbecillibus plectantur; accedit his adhuc, quod infantes organa vocis magis per clamitum et locutiones exercendo, et multum cursitando facilius incalescendo organa haec etiam magis ad anginam membranaceam disposita faciant.

B. Causae occasionales. Ex praegressis satis elucet inter causas excitantes non alias numerandas esse, quam catarrhali effectioni eminenter faventes, inter quas certe primum locum meretur refrigerium repentum per rudem inprimis Boream vel Austrum tempore autumnali, hyemali et vernali, sicuti per tempestatem humido-frigidam et ventosam inductum, unde morbus in regionibus paludosis ad fluminum ripas, lacuum, mariumque littora frequentior observatur. — Sed et aliis noxiis v. g. vaporibus calcis murorum recenter dealbatorum originem debuisse suam visus est.

An per contagium etiam hic morbus generari valeat, nondum experientia sat edo-

cuit, sed cautella supra hoc punctum observata certe nunquam superflua.

Symptomatice angina membranacea sese frequenter associat morbillis, tam sub introitu, quam etiam sub stadio desquammationis et Reconvalescentiae; rarius intrat connubium cum rubeolis et scarlatina; frequentius autem cum tussi convulsiva. — Cum variollis videtur Anginam membranaceam saepe conjunctam fuisse et mortem attulisse, cum ab antiquioribus medicis plures casus referuntur, ubi sub variollis regulariter decurrentibus, raucedo, dyspnöea, aphonia et repentina mors intraverint.

Exitus.

Terminationes Anginae membranaceae sunt:

1. *in sanitatem.*
2. *in alios morbos.*
3 *in mortem.*

1. In sanitatem. Terminationem hanc sat raro, et fere nunquam per naturam solam sed semper artis auxilio, angina membranacea praeelegit, ita ut plus quam medietas infantum hac necentur. — Auxilio artis mature adhibito ut formatio membranae praecaveatur, per crises et quidem per sudorem, urinam sedimento copioso notatam, in specie autem per expectorationem sputorum mucosorum et ejectionem concretionum membranacearum; subinde et per alviductiones coloris viridescentis, odoris proprii, eadem producta membranacea vehentes, morbus sanari valet.

2. In alios morbos, et quidem vel ex

parte affectionis localis, vel ex parte febris. — Ex parte affectionis localis morbus hic in perversam Exsudationem et formationem Pseudomembranae fere semper terminat. — Mala posthuma, quae etiam post mitissimum gradum morbi relinquuntur, sunt: anhelitus, raucedo, tussis pertinax, aphonia, magna irritabilitas tracheae et laryngis, dyspnöea, asthma. — Ex parte febris non raro haec, caracterem nervosum induit, vel in febrim tabescentem desinit.

3. In mortem. Mors infertur vel suffocatione, obpletione et obturatione tracheae et bronchorum per lympham coagulatam et membranam efformatam adducta, coarctationeque et spastica contractione rimae glottidis; vel apoplexia sanguinea, oppletione vasorum, sinuumque cerebri ac pulmonum; porro spasmis et convulsionibus; debilitate per febris vehementiam adducta; et tandem secundario per morbos posthumos uti laryngis et tracheae suppuratione, induratione, inflammatione et ulceratione pulmonum.

Necroscopia.

Autopsia, infantum angina membranacea defunctorum, sequentia innotuerunt: cadaveris adspectus est ille, quem homo morte strangulatoria plexus, offert, prominent nimirum oculi, facies est livida et venae turgent. Oris ambitus et fauces vel inflammationis signa offerunt vel muco tenaci sunt obductae. — Laryngis et tracheae cavum inflammationis vestigiis signatum et tumidum aut lympha coagula-

bili aut jam membrana efformata oppletum est. — Est autem haec membrana productum inflammationis praegressae, et vera lympha coagulabilis non tantum in larynge et trachea verum etiam nonnunquam in bronchiis deprehendenda, laryngi et glottidi adeo firmiter adhaerens, ut scalpello solvi debeat; vita post ejus formationem adhuc per longius tempus perdurata, membranam minus adhaerentem, inter tracheamque et membranam mucum accumulatum medici deprehenderunt. — Crassities ejus est variabilis prouti mors prius aut tardius intraverit, structurae fibrosae crustae phlogisticae sanguinis similis. — Medicorum praeterea testimoniis constat membranam in larynge ut plurimum esse decolorem, eoque albidiorem evadere quo profundius ad bronchia descendat, nisi forte per symptomatum violentiam cum lympha sanguinis simul particulae extricentur album colorem in rosaceum aut coccineum commutantes.

Prognosis.

Prognosis sub hoc morbo semper dubia et anceps manet; referrenda enim est Angina membranacea ad morbos summi periculi, tam ob rapidum eius decursum, quam ob generatam membranam, viam pro vitae sustentatione tam necessariam occludendam. — In Angina membranacea, repente intrante jam primis duabus horis periculum summum praesto est; sub Angina membranacea autem lente decurrente morbus fere semper a parentibus initio non dignatur negligiturque, ita ut etiam

hoc in casu periculo jam maximo praesente medici auxilium primo imploretur. — Quo tenera sit infantis aetas eo majus periculum, quoniam status inflammatorius in illis cito absque resolutione decurrit, vires facile exhauriuntur, febris inde nervosum induit caracterem, tussis vehementibus organorum respiratoriorum spasmis suffocationem minitantibus sociatur, aliaeve organismi partes, spasmis et convulsionibus corripiuntur; porro est in infantibus natu minoribus morbus difficilius dignoscendus, difficiliusque sunt infanti medicamenta porrigenda et applicanda. — Cynanche membranacea vere a vento frigido nata intensius inflammatoria, plus periculi, quam autumni soboles secum ferre consvevit. — Morbus primis diebus neglectus arti succurrenti magna opponit obstacula; perverse tractatus raro sanationem admittit.

S y m p t o m a t a   i n f a u s t a quae urgens periculum patefaciunt, sunt: febris continua continens, vehemens cum remissionibus vix animadvertendis; dyspnöea cantinua cum anxietate crescente; tussis sicca, eminens jam ab introitu sub loquela et tussi alienatio soni; accessuum repetitio frequens cum symptomatibus suffocativis; status soporosus; animi deliquia; convulsiones; sudores frigidi; pulsus innumerus.

Tussis valde frequens, spasmis et convulsionibus juncta, membranae ejectae, crassae, solidae, tubiformes, manifeste organisatae, vel sputa sangvine multo mixta, attamen rara: diarrhoea valida, aquosa sub stadio exsudatio-

nis; facies turgida, rubra; inquietudo, anxietas et propensio in soporem maxima; pulsus arteriarum valde frequentes, parvi, irregulares, intermittentes pessimi sunt ominis.

Symptomata fausta; ad haec referenda sunt: Apparitio crisium, urina turbida, tussis humida, sputa levamen adferrentia, alviductiones viridescentes, proprii odoris, dyspnöea inminuta et remissio febris.

Optimum tunc signum, strepitus sub respirio non difficili, solutionem lymphae et coagulorum designans et deglutitio omnem tussim concommitans sistunt, si sufficiens sequitur expectoratio.

Therapia.

Regula suprema curae anginae membranaceae est: jam in principio ad summe efficacia auxilia recurre ut illud quantum fieri potest praevertas periculum, quod semel evolutum difficile removebis.

Methodus, quam contra hunc morbum in usum trahimus non alia est ac antiphlogistica.

Indicatio prima.

Inflammationis vigor ab omni initio dometur, ut tali ratione praecaveatur exitus in hypoclepsin lymphae coagulabilis, quae ab aëris contactu adeo facile coit.

Primis ergo pathognomonicis signis observatis, nimirum sono tussis et vocis peculiari, dolore fixo in larynge et trachea, febrique va-

lida jamjam praesente absque mora ad sangvinis evacuationes et alia interna antiphlogistica fortiora refugiendum est.

1. Sangvinis evacuationes. Sunt hae indicatae: sub angina membranacea adhuc recenti, derepente absque prodromis intrata, in infante forti, robusto et magis jam adulto, sub febri vehementi pertinaciter typo continuo continente stipata et sub constitutione epidemica manifeste caractere phlegmonoso notata.

Contraindicatae autem sunt sangvinis depletiones sub febri mitiori, spasticis affectionibus, in infantibus debilioribus, tempestate humida grassante, et in stadiis serioribus morbi, hinc post decursum duarum vel trium dierum, formata jam membrana nunquam instituendae sunt, in his casibus enim potius damnum inferre solent, cum aegrum viribus quibus ad expectorationem membranae eget, exuant.

Quantitas sangvinis dimittendi diversa est secundum diversum gradum inflammationis, aetatem aegri, constitutionem eius et alias circumstantias.

Inminuitur autem quantitas sangvinis sub angina membranacea a) vel per Venaesectionem b) vel per hirudines.

a) Venaesectio. Cum morbus hic solum aetati infantili proprius sit, sub eius morbis autem rarissime Venaesectione utimur, etiam sub Angina membranacea Venaesectionem localibus sangvinis depletionibus eligere non solemus. Indicatur tamen in infantibus ro-

bustissimis, plethoricis, sed nonnisi jam 2dum aut 3ium annum transgressis, sub singulari et eminente vehementia morbi, tandem sub complicatione cum Peripneumonia, praesente ergo pressione et gravedinis sensatione in pectore et sub sputis cruentis. — Venaesectio semper in brachio instituenda est, et quantitas sangvinis emittendi uncias 2, 3, 4, efficiat.

Quas proposuerunt venaesectiones ad animi deliquia usque protractas nequaquam imitare svadetur.

b) Hirudines, venaesectionis locum in tenera aetate optime supplent. — Negari quidem nequit non raro et in parentibus et in medico ipso desiderium moveri, ut illarum applicatio evitetur, cum mollis infantum aetas, colli denudatio et quod summi est momenti infautum metus et vehemens vociferatio, quibus omnibus phlogosis nonnisi augeri potest, earum usui maxima opponant impedimenta; verum enim vero in morbo adeo gravi et discrimine pleno, ratione quavis postposita omnia fieri debent, quibus quantocius inflammationis vis et imminens lymphae coagulabilis transsudatio, frangitur.

Hirudinum adhibendarum numerus pro varia aetate et vario morbi intensitatis gradu varius est, ita ut ab hirudinibus 3 aut 4 ad 6 — 8 ascendat. Sangvinis stillicidium e punctis ab hirudine locis pro necessitatis casu spongiis humefactis aut cataplasmatibus emollientibus sustineri potest; vel si hoc non juvat sub reviviscente morbi ferocia ad alteram recurrendum depletionem, eousque repetendam quous-

que sonus tussis adhuc asperus, respiratio difficilis et pulsus tensus et durus est.

Locus quo earum adplicatio optime instituitur, ipse laryngis ambitus maxime opportunus est, quum parti internae affectae sit proximus; sub tracheae inflammatione earum adpositio profundius ad superiorem sterni regionem, imo bronchiis morbo correptis in ipso thorace intra costas fiat. — Pro evitandis inquietudinis, renitentiae ac ejulatus, refrigerii et deligationis incommodae damnis etiam ad brachium alterutrum, applicari possunt.

Formata jam membrana etiam hirudines, prouti de sangvinis depletionibus in genere dixi, contraindicantur.

2) Emollientia tam externa quam interna, quae et inflammationis vehementiam infringere et tussis ferocitatem compescere valent. — Ad priora referruntur cataplasmata emollientia et fomenta tepida post applicationem hirudinum collo vel pectori apponenda, partim ut resolvatur inflammatio, partim autem ut sangvinis stillicidium sustineatur. — Ad posteriora pertinent potus et pharmaca emollientia tepida omni 5° — 7° temporis minuto primo propinanda, uti decoctum Althaeae, Salep, Mucilago gummi arabici, linctus mucilaginosi; hinc inde vapores quoque ex spongia aqua vel infuso theato, cum lacte callido imbuta leniter inspirandi.

3. Eccoprotica et Solventia, quae derivando inflammationem ad tractum intestinalem indicationi primae jure correspondent.

Ad haec referruntur, hydromel infantum, Infusum laxativum Viennense, Electuarium lenitivum, Manna, et Clysteres apperientes quibus ultimis sub febri valida, juxta Autenrieth tot cochlearia plena aceto addi possunt, quot annos parvulus numerat.

4. Refrigerantia sangvinis plasticitatem inminuere valentia, febrisque ardorem compescentia, uti Emulsiones tam pro medicamine quam pro potu ordinario, praecipue sub calore intenso commendandae, et dein Nitrum depuratum si febris valida, calor intensus et sitis magna sit, parva dosi, ad aliquot grana in decocto mucoso aut emolliente porrigendum.

Tractamine nunc relato, medico inflammationis vehementiae resistere non valenti vel jamjam exsudato praesente, ad explendam alteram indicationem ut refugiat opportet.

Indicatio secunda.

Humorum plasticitatem corrigere, eorum per inflammatam superficiem secessum infringere:

Ad satisfaciendum huic scopo non alia medicamenta, quae tam rite indicationem alteram explere valerent, noscimus quam.

1) Mercurialia, horum aetio eminens in resorptione lymphae coagulabilis et in limitatione exsudationis consistit. Ex his nunc semper semperve optato cum effectu Anginae membranaceae opponebantur:

a) Mercurius dulcis

b) Frictiones mercuriales.

a) Mercurius dulcis. Licet hic, quidem in genere, in inflammationibus sub stadio cruditatis non indicatus est, tamen experientia edocet, et non negandum est, ut in illis inflammationibus, quarum nisus in exsudationem manifestus est, in sic dictis inflammationibus exsudativis, per effectum suum specificum exsudationem prae aliis medicaminibus arcere valeat; — sed et praesente jam exsudato illud removet, id quod sub Angina membranacea postulatum summum; — porro, manifestat actionem suam et in hepatis compagem sicque augendo eius et tubi intestinalis secretionem vicaria et antagonistica actione inflammationem frangit, exsudatumque evehit. Actionis eius in hepar et tractum intestinalem testes nobis sunt alviductionis frequentiores, viridescentes, foetentes sub eius usu insequentes; hinc pertinaces obstructiones porrecto Mercurio dulci semper mali ominis sunt. — Videtur autem usum Mercurii dulcis eo magis indicatum esse, quo minor intensitas inflammationis, quo magis caracter catarrhalis praesto est. — Usus eius ut exsudatio certius praecaveatur statim sangvinis depletionem sequi debet.

Attamen ut hydrargyrii quod plerumque tarde agere consvevit promptus habeatur effectus in morbo adeo praecipitanter decurrente summopere necessarius, generosiores omnino ac brevibus intervallis exhibitae requiruntur doses, et quidem eousque, donec plures sequun-

tur alvi pultaceae, mucosae, viridescentis aut fuscae secessus.

Medici Americani ac inter illos Rush, Kühn, Bard et Anderson primi fuerunt, qui magnas in usum traxerunt Mercurii dulcis doses, ita quidem ut teneris infantibus plus quam 20 grana intra nychthemeri spatium propinaverint. Eorum exemplum secuti sunt Angli et Germani, in specie Hamilton, Girtanner, Marcus et Autenrieth. — Nonnulli Calomelani (Lentinus) vim laxantem per connubium narcoticorum uti extracti hyosciami inminuere; et alii et contra (Autenrieth) alvi ductiones frequentiores per mercurium dulcem ut his lympha coagulabilis evehatur, adducere student.

Dosis ejus maxime congrua est: a grano semis ad unum infantibus tertium usque aetatis annum versantibus, omni bihorio vel etiam omni hora porrigendum; infantibus jam ultra quintum aetatis unnum dosis etiam ad 1 $\frac{1}{2}$ granum adaugeri potest; cum illa dosi eousque est continuandum, quousque tussis humida fit et alvi dejectiones pultaceae mucoso-faeculentae, viridescentes aut brunescentes sequuntur. — In nonnullis tamen casibus in quibus febris vehementia quamvis fracta, alvus obstinate clausa manet, mercurii dulcis dosibus 3 — 5 grana pulveris radicis Jalappae adjecta praeeunte celeberrimo J. R. Bischoff effectum praestant exoptatum.

Febri decrescente, symptomatibus localibus inminutis, aut intrante ptyalismo aut diarrhoea majori quam par est, usus Mercurii dul-

cis suspendi debet, nam sub his circumstantiis nullum indicatum praestat, et experientia edocti sumus, salivationem et diarrhoeam perillum sub decremento morbi citius, quam sub acme induci.

Infantibus natu minoribus, aut diarrhoea nimia per Mercurium dulcem adducta, et morbi vehementia tamen adhuc usum hydrargyrii postulante, calomelis loco, Solutio Plenkii exhiberi potest.

Rp. Hydrargyrii scrupulum.
Gummi mimosae scrupulos tres.

Conservae Rosarum q. s. terre in mortario marmoreo, donec hydrargyrum penitus dispareat adde

Syrupi Althaeae drachmam unam et semis.
M. S. Theelöffelweise alle Stund zu nehmen.

b. Frictiones mercuriales. Inungitur Ungventum Neapolitanum juxta decursum vasorum lymphaticorum colli, ut cura, quantum fieri potest acceleretur, vel dum interne Mercurius non fertur.

2. Epispastica. Sunt haec etiam adminicula indicationi secundae correspondentia, secretionem lymphaticam artificialem nimirum in cute provocando, exsudationem lymphae in larynge et trachea vicaria actione restringere valentia. — Eorum usus autem nunquam sanguinis depletiones praecedere sed eas sequi debet, nec applicentur prouti nonnulli volunt ad laryngem et tracheam ipsam, cum in hoc loco frictionibus mercurialibus impedimentum largiuntur, et ob vicinitatem tracheae irritationis causa producendae, tussim et inflammationem

potius adaugere possent. — Ponantur ergo potius ad sternum, nucham, colli latera et extremitates. — Inter epispastica notari merentur: Emplastrum Cantharidum, Ungventum de Friedländer ex drachmis duabus Carbonatis Ammoniae et unciis duabus Cerati simplicis constans, omni quadrante horae ad drachmas duas in parte anteriore et laterali colli illiniendum, quousque vesiculae parvulae apparent, et dein Linimentum volatile cum Camphora alternatim cum Ungvento mercuriali illiniendum.

3. Diaphoretica. Medicus Indicationi 2. satisfacere studens, crisimque etiam per alias vias quam per organa respiratoria sollicitandam quaerens, in cute certe atrium sat largum cum membrana mucosa laryngis et tracheae nunc morbose affecta vicarium commercium fovens, deprehendit, ita ut nec diaphoretica, licet hoc in casu sese non qua specifica praebent, sub tractamine Anginae membranaceae negliget; auctaque transpiratione lymphae coagulabilis in larynge, et quantitatem et qualitatem inminuere studebit. — Referuntur autem huc mitiora uti: Acetas ammoniae, Vinum Antimonii, liquor Ammonii anisatus et succinatus e. s. p.

4. Derivantia alia uti: pediluvia irritantia ex decocto seminum Sinapis, salis culinaris solutione, lixivio communi etc.; semicupia; balnea ex aqua simplici tepida a 23 — 24° R., aut emollientia ex lacte, decocto furfurum etc.

Particulares tamen exsudationes praecavere, non semper in medici potestate est, quibus factis earum solutio et expectoratio proximam constituunt indicationem.

Indicatio tertia.

Producta membranacea ab interna plaga laryngis et tracheae solvere ita ut expectorari valeant, expectorationemque eorum suffulcire.

A. Ut producta membranacea solvantur, usus mercurialium adhuc continuandus est; — sed praeterea adhuc alia indicationi huic conveniunt.

1. Sulfur. Flores Sulfuris vel lac Sulfuris ad granum semis ad integrum pro dosi. Sulfur in formis hujus mali mitioribus remedium revera est, omni adtentione dignum, quod materierum membranacearum solutionem et cutis transpirationem promovens, infensis simul mercurii sequelis obicem ponens omnibus satisfacit indicationibus et viribus suis leniter irritantibus Sulfuri aurato antimonii omnino praeferri meretur.

2, Vapores in tracheam tracti. Effectus eorum optimus contactum immediatum cum membrana morbosa ineuntium. — Vapores hi ex sola aqua applicari debent, et non ut alii volunt ex aethere sulphurico nimis irritante et accessus suffocationis provocante; vel

etiam fumigationes ex aceto et floribus sambuci.

B. Ut autem nunc membrana soluta, quod levi in trachea strepitu et ejus secessu dignoscitur, ejici valeant, nobis sunt remedia sic dicta Expectorantia ad quae referuntur:

1. Polygala Senega. Huic post sulfur primus concedi debet locus; quod remedium praestantissimum, nec unquam alio supplendum expectorationem maxime sollicitans, stagnationes solvens, respirationis impedimenta amovens, cutis munera expedit, et lotii secretionem facilitat. — Medicus autem illius moniti nunquam non memor esto, a minoribus nonnisi dosibus incipiendum et caute ad majores transeundum esse. Sufficiunt itaque ab initio gr. 12 — scrup. unus vel drachma semis pro colatura unc. 4 aut 6; majores enim doses saporis acris gratia aegrius ferunt infantes. Intrante vomitu et diarrhoea ejus usus suspendatur.

2. Expectorantia alia, quae vires quoque eximias eidem indicationi convenientes possident, sunt: Oxymel squilliticum, colchicum, spiritus Salis ammoniaci anisatus, Sal C. C., Spiritus C. C. Sulfur auratum Antimonii, Kermes minerale, Flores Benzoës, Fumigationes cum Pipere, vapores ammoniacales, et Aceti.

3. Emetica. Horum usus a nonnullis uti

ab Albers sub stadio inflammatorio commendabatur, sed audax hoc consilium, et periculo plenum. — Alii, emetica solum, formata jam membrana, applicata scire volunt. — Experientia evictum habemus, eorum adplicationem quousque pseudomembranae firmiter tracheae adhaerent, nonnisi suffocationis periculum augeri posse; in illis solum casibus, ubi concrementa jamjam separata ejectionis tantum auxilio indigent, medici votis satisfacient. Cum autem eundem scopum alia expleant medicamenta viribus nostrae potestati magis subjectis praedita, vomitoriis in tractandis anginae membranaceae casibus lenioribus absque damno carere possumus, eorumque usum ad illos tantum casus restringimus, in quibus muci tenacis in trachea accumulationes, quod quidem in infantibus constitutionis flaccidae saepius fit, praesto sunt. — Emetica quae in scopum hunc Practicis eligere placet, sunt: Tartarus emeticus, Ipecacuanha, Vinum stibiatum ad gttas 10, Oxymel squilliticum, et Sulfas Cupri ad 3 — 4 gr.

4. Errhina. In eundem scopum ac Emetica nempe ut mechanica concussione pseudo membranarum ejectio facilitetur commendabantur a Lentino sternutamenta ex Tabaco vel pulvere florum Tiliae; attamen magnam circumspectionem et haec desiderant.

5. Hepar Sulfuris Kalinum. In hoc medicamine, recentiori aevo a Gallis proposito, remedium summi praetii, ad tractan-

dam Anginam membranaceam, quod temporis decurso magnas in debellando hoc morbo ostendit vires, medici invenerunt. — Hepar Sulfuris Kalinum systema vasorum minime irritando, e contra potius salium mediorum ad instar actionem eius exsuperantem, licet modice, moderando, prouti Calomel vi quadam specifica imbutum, nisum plasticum morbosum sangvinis et nisum in exsudationem refrenat et coercet, hinc maxima attentione in inflammationibus exsudativis dignum medicamen. — Alvum quidem laxat sed rarissimo in casu, et diarrhoea illo provocata non ita vehemens deprehenditur ac haec per Calomelanum excitata, imo etiam diarrhoea praesente sub qua Calomelis usus interdicitur medico auxilium promittit. — Post eius usum quidem nonnunquam vomituritiones imo vomitus sequuntur, sed semper mitioris gradus nec repetitis vicibus; et idem post usum Mercurii dulcis observatur? Systema nervorum modo mitissimo adficit, nec inquietudinem, nec agrypiam, nec dolorem vel spasmos provocat, imo potius eos absque irritatione compescere valet. — Tandem et salivationis ansam non praebet, sed potius eam per Calomelanum provocatam coercet.

Sapor et odor eius eminenter ingrati adversari videntur, qui absque dubio in causa sunt, minorem hucusque de viribus huius praeparati experientiarum esse numerum. A nonnullis parvulis eo non obstante tamen absque taedio summitur.

Huius remedii adplicatio, monente clarissimo J. R. Bischoff, in illis casibus indicatur, ubi apparatu antiphlogistico et Calomele quamvis adhibitis lymphae coagulabilis exsudatio continuat et intrans diorrhoea, ptyalismi indicia vel et virium proxima exhaustio ab ulteriori Mercurii dulcis usu abstinere jubent.

Dosis singula huius medicamenti pro varia aegri aetate et vario morbi gradu a gr. 1, 2 ad 3 usque ascendit omni bihorio repetenda.

Forma, quae infantum gustum minime offendit, linctus est. Solet tamen etiam in pillulis et orbiculo e farina involutum dispensari.

Omnibus autem remediis hucusque adlatis non sufficientibus et morte jam sese insinuante medicus nondum desperare debet, obligatur nunc remediis heroicis morbum maxima eum energia adgredi. Inter haec autem referenda sunt:

Tartarus emeticus, qua emeticum,

Kermes minerale in majoribus dosibus,

Sulfas Cupri juxta Hoffmanium ad gr. 2 — 3 qua emeticum, sangvinis depletione praemissa.

Embrocationes et lotiones cum aqua frigida in specie dum calor, vehemens siccus et applicatio aliorum remediorum insufficiens est, et tandem.

Tracheo-recte Laryngotomia. Com-

mendatur haec operatio urgente periculo suffocationis et quidem in eum scopum ut per factam aperturam vel Pseudo-membranae exitus vel aeri additus ad pulmones conciliatur; prodesse itaque potest, ubi a frustis coagulatis aut membranis laryngi laxe inhaerentibus hoc unice, pendet periculum; — id quod rarum — nam membrana vel adeo fortiter adhaeret ut scalpello potius solvi deberet vel profunde in bronchiis sedem fixit. — Operatio praeterea in infantibus non solum ob laryngis parvitatem et perpetuum sub in et exspiratione difficillima motum, perardue instituitur, sed intendendo etiam irritationem et phlogosin revocando non obesse nequit, adeoque semper auxilium mere palliativum et periculo plenum sistit.

Indicatio quarta.

Symptomata accidentalia Anginae membranaceae tractare.

Accedunt nimirum non raro Anginae membranaceae plura symptomata et quidem gravia quae eam complicant et tractamen justum exposeunt. Inter haec frequentiora numerantur:

1. Spasmi et Convulsiones quae causam suam vel in summo gradu inflammationis quaerunt vel jam ex constitutione aegri prosiliunt. — Inflammatione adductis, tolle inflammationem et fugabis convulsiones et spasmos secundarios. Hinc sic dicta antispa-

smodica tunc solum locum habebunt, dum inflammationis gradu jam infracto, et sat larga expectoratione consecuta, spasticae affectiones adhuc continuant, in genere dum morbus statim initio magna similitudine cum asthmate Millari gaudet. His nunc opponi solent: Opium, Asa foetida, Extractum Hiosciami, Castoreum, Aqua Laurocerasi, Moschus cum Mercurio dulci etc. Contra spasmos inflammationem qua causam agnoscentes, Flores Zinci, Extr Hyosciami, Aqua Laurocerasi.

2. Diarrhoea nimia per Mercurium dulcem provocata; quo in casu Calomelis usus seponendus est, et applicatio involventium intrat, sicque etiam radicis Arnicae, Ipecacuanhae, Fabae Pichurim, Aquae Cinamomi etc.

3. Salivatio, contra quam seposito Mercurio, Hepar Sulfuris Kalinum in usum trahitur.

4. Virium debilitas vera. Ubi vires aegri frangi incipiunt, ac nervosi caracteris indicia evolvuntur, antiphlogisticorum usus damnosus omnino fiet Recurrendum tunc quantocius ad methodum antagonisticam, qua simul cutis functio optime restituitur, hinc Sinapismi et Vesicantia ad surras, ad brachia, ad sternum, inter scapulas, circa collum; dein aura Camphorata.

Indicatio quinta.

Reconvalescentiae decursum regulare.

Debilitatem relictam universalem aeque ac topicam sensibilitatem nimiam, et irritabilitatem quae supersunt, tam victu, quam pharmacis accomodatis demulcentibus et tonicis, quam aere puro, sereno, ast blando et tepido, atque regimine concordante auferre; simul causas occasionales mali, refrigerationem in specie, solertissime fugiendo, recidivam praevertere necesse est. — Itaque indicata sunt sub Reconvalescentia Roborantia, China, Lichen islandicum, Senega, Lac, contra irritabilitatem laryngis inunctiones volatiles.

LITERATURA.

Hildenbrand, Institutiones practico medicae. Viennae 1833.

A. Chr. Fr. Michaelis, de Angina polyposa sive membranacea. Goett. 1775.

Gölis, tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membranacea. Viennae 1810.

J. A. Albers de tracheitide infantum, vulgo croup vocata; commentatio, cui praemium a Napolione propositum ex dimidia parte delatum est. Lips. 1816.

Lentin, Beyträge z. ausüb. Arzneyw. B. I. u. III.

Autenrieth, Versuche f. d. pract. Heilkunde. B. I. H. I. und II. Tübingen 1807 — 1808.

J. N. Raimann, Principia Pathologiae ac Therapiae specialis medicae. Editio latina. Viennae 1835.

J. B. Richter, Dissertatio inaug. med. practica pertractans Anginam membranaceam. Viennae 1832.

Aug. Gottlieb Richter, specielle Therapie. Wien 1829.

Rosenstein, Kinderkrankheiten. Edit von Loder und Buchholz. Goett. 1798.

Fridrich Ludwig Meissner, Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften, 3. Band. Leipzig 1830.

C. W. Hufeland's Journal. B. I. IV. u. VII. Wien 1801.

Cullen, Anfangsgründe. p. 318.

Horsch, Annalen. Heft 2.

Horn's, Archiv 1812. November u. December.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Solium, evolutioni plantae non summe necessarium.

II.

Classificationem animalium ab organis eorum vitae maxime necessariis inchoa.

III.

Crystallorum formatio effigies vitae mineralium.

IV.

Non dantur viae urinales occultae.

V.

Et lien sangvificationi prodest.

VI.

Acidum phosphoricum in ossibus mamalium generatum non deprehendis — sed phosphorum.

VII.

Immitationis studio nervorum, morbi contaminare queunt.

VIII.

Methodus exspectativa etiam rationalis.

IX.

Scrophulosis et morbus congenitus et educationis est.

X.

Angina membranacea, inflammatio catarrhalis per organismum infantilem modificata.

XI.

Vis medicatrix non vis distincta.

XII.

Febris nervosa, crisis eronea.

XIII.

Et aeris athmosphaerici morbos agnosce.

XIV.

Morbi psychici et psychicum tractamen volunt.

XV.

Oculus humanus speculum organisationis, vitae et morborum.

XVI.

Entozoa in organismo vivo generantur et non extra illum.

XVII.

Partus serotinus est possibilis, et lex eum defendens non contradicit legibus naturae.
